Arnoldus primus Coloniensis archiepiscopus XL.

cat. III. Quadragesimo[l] loco sub Conrado[m] III. imperatore sedit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie annis 10[n] venerabilis pontifex Arnoldus primus,[+] prius in ecclesia sanctorum apostolorum[22] Coloniensi[o] prepositus.[++] Cum autem his temporibus per Eugenium papam III.[p] apud Remis fuisset generale concilium[q] habitum, idem Arnoldus huic concilio absens in concilio de symonia[r] accusatus una cum archiepiscopo Maguntino[s] absente similiter sententiam depositionis accepit. Dictis vero duobus archiepiscopus pro sua reconciliatione[t] Romam accedentibus et dicto Maguntinensi archiepiscopo graciam gratis obtinente idem Arnoldus Coloniensis archiepiscopus[u] reconciliationem non valuit obtinere, cum tamen ipse[v] pro sua reconciliatione obtinenda plurima obtulisset. Quod quidem satis mirabile videbatur, cum Romani semper diligant munera sequentes retributiones, et regulariter nemo nisi ambiciosus consueverit[w] ibi stare.[+++]

[22] Antiquiores catalogi eum prepositum s. Andree faciunt. Arnoldum apud suam ecclesiam sepulturam elegisse verisimile est.

Arnoldus secundus pontifex Coloniensis XLI.

Quadragesimus primus adeptus est pontificatum Coloniensis
cat. III. ecclesie[x] sedens sub Frederico primo imperatore annis 5 venerabilis presul Arnoldus II.[×] Qui ante pontificatum fuit maioris ecclesie prepositus et dicti Frederici imperatoris cancellarius. Iste monasterium S. Clementis in Ryndorp[y] in territorio Bunnensi[z] multis decentibus ornamentis decoravit, ubi et ipse sepultus requiescit.

Fredericus secundus Coloniensis presul XLII.

Quadragesimo secundo loco successit in regimine pontificali Coloniensis ecclesie sedens sub predicto Frederico I. imperatore
cat. III. nondum duobus annis completis venerabilis pater[a] Fredericus II.[××]

[+] add. 5: frater comitis Juliacensis. [++] add. 3: Hic filius comitis Gelrie et sepultus in ecclesia s. Andree Colonien. [+++] add. 7: Ex alia chronica. Nihil obtinuerunt, quod tamen satis mirabile videtur, cum curia Romana non petit ovem sine lana. Hic incorporari procuravit ecclesiam Bacharacensem ecclesie S. Andree et decimam vindemialem ibidem. [×] add. 5: oriundus de Loyn. [××] add. 6: filius Adolphi II. comitis de Altena; quae verba in cod. 6 eadem manus textui adscripsit.

l) Quadrageno 2. m) Conrardo 2. n) decem annis 1. o) Col. deest 3. p) III. deest 1.2.3. q) consilium 2.3. r) de sym. in conc. 2.3. s) Maguntino deest 2. Maguntinensi 3. t) reconsil. 2. u) episcopus 3. v) ipse deest 3. w) consueverat 1. consuerint 3. x) eccl. deest 2. y) Ryndorpp 1. z) Bonnensi 3. a) presul 3.